

constituit. Personam verò Severinus Boethius primus defini-
 visse dicitur, quod sit Naturæ rationalis individua Substantia. Ve-
 rùm hanc Definitionem duplicem ob causam reprehensionem
 incurrere ajunt: (1.) quòd quoddam, quod vera Persona sit, sub ea
 non comprehendatur. (2.) quòd quoddam sub ea comprehendatur,
 quòd tamen Persona non sit. Primum patere volunt ex Deo
 & Angelis: in his enim Personam esse negari nequit, tamen sub ea
 definitione non comprehenduntur, quia non sunt rationalis Na-
 turæ. Rationale enim non voluerunt dici, nisi quòd intelligit
 per discursum, adeoque intellectu successivâ, successione tali,
 quæ fiat à noto ad ignotum. Substituendam igitur putant vo-
 cem generaliore, nempe Naturæ intelligentis. (3.) Hanc defini-
 tionem latiore esse definito ajunt: nam si veretineatur vox *Rati-*
onalis, five substituatur vox *Intelligens*, tamen hæc definitio alicui
 competit, quòd rationem Personæ habere nequit: Competit e-
 nim & Animæ rationali, & Essentiæ divinæ, ubi tamen neque hæc,
 neque illa Persona est.

§. XIII. Hæc ergò definitione rejecta dicimus, quòd Per-
 sona sit substantia individua, intelligens, incommunicabilis, quæ
 non sustentatur in alio. Dicitur (1.) *Substantia*: nam accidenti-
 bus Personæ nomen non competit. (2.) *Substantia individua* seu
 singularis, ad excludenda universalia, quæ licet sint substantiæ,
 Personæ tamen nomine indigitari non solent. (3.) *Intelligens*: nam
 substantiæ singulares, quæ intellectu carent, non dicuntur Per-
 sonæ, sed supposita. (4.) *Incommunicabilis*, propter Essentiam divi-
 nam, quæ quidem est substantia singularis & intelligens, Persona
 tamen non est, quia Patri, Filio, & Spiritui S. communicatur. (5.)
quæ non sustentatur in alio: Ob Humanam Naturam in Christo,
 quæ quidem est substantia singularis, intelligens, incommunica-
 bilis; Persona tamen non est, utpote quæ propriâ substantiâ de-
 stituitur, & in alio, nempe in *ὑποκειμένῳ λόγῳ*, sustentatur.

§. XIV. Sed eò ipso, dum Personam substantiam diximus,
 Laurentius Valla nobis contradixit, dum nō erubuit contra Boe-
 thium affirmare, Personam non esse substantiam, sed saltem ali-
 quam significare qualitatem, ut videre est *lib. 6. Eleg. c. 35*. Hanc
 autem sententiam suam duobus potissimum probavit argumen-
 tis. (1.) Ex communi usu probationem desumpsit, quò sæpius per-

B

Perso-